

D. Ernestvs Henricvs Weber ... procancellarivs panegyryn medicam in avditorio ivridico die VII. M. Septembris A. MDCCCXXXVIII. celebrandam indicit : annotationes anatomicae et physiologicae. Prol. V.

Contributors

Weber, Ernst Heinrich, 1795-1878.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Staritzii, Typogr. academ, [1838]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rmaf2ny2>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>







D. ERNESTVS HENRICVS WEBER

ANATOMIAE PROFESSOR PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

IN

A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE VII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T .

Annotationes anatomicae et physiologicae.

Prol. V.

D. ERNESTUS HENRICUS WEBER

ANATOMIAE PROFESSOR TURICENSIS

ET

UNIVERSITATIS LITERARUM LISIENSIS

M. D.

PROGNAZON LITHUANIAE

PARS PRIMA

ANATOMIAE

PER M. ERNESTUM HENRICUM WEBER

CELESTINUM

ANATOMIAE

*De motu vibratorio in membrana mucosa narium
hominis conspicuo.*

Ad praestantissima inventa physiologica nostri aevi hoc referendum est, quod communi Purkiniei et Valentini studio debemus, motus nimirum vibratorii in membranis mucosis quibusdam avium et mammalium conspicui*). Motum vibratorium, ab Antonio de Heide in mytilo primum detectum, multi scrutatores naturae in polypis, in infusoriis, molluscis, aliisque bestiis inferioris ordinis observaverunt. Cuticula nimirum horum animalium in certis partibus brevibus tenuissimisque filis seu ciliis munita est, motum oscillatorium seu vibratorium perficientibus. Fila tam tenuia sunt, ut oculus adeo microscopio egregio armatum facile fugiant. Quemadmodum in agro aristae frumenti, vento motae, oscillant et oscillatione successiva undas ad certam directionem progredientes proferunt, ita fila etiam illa oscillantia. Hinc fit, ut motu eorum aqua in circulum agitetur, parvaque corpuscula vortice corripiantur et nunc ad superficiem cutis attrahantur, nunc ab ea repellantur. At vero, si animalia perparva sunt, v. c. infusoria, ciliorum suorum motu ipsa rotantur, magna saepe celeritate. Postquam I. G. Steinbuch motum vibratorium in branchiis amphibiorum larvatorum initio huius saeculi nostri detexerat, multi anni elapsi sunt, quibus nemo hanc rem admirabilem in animalibus vertebratis ulterius persecutus est. Nam anno 1833 demum Purkinje et Valentin hunc motum in membrana mucosa genitalium cuniculi invenerunt. Alter nimirum eorum partes genitales eo consilio perscrutatus est, ut ova in tubis tetegeret. Ita factum est, ut divulsas membranae mucosae

*) De phaenomeno generali et fundamentali motus vibratorii continui in membranis cum externis tum internis animalium plurimorum et superiorum et inferiorum ordinum obvii commentatio physiologica scripserunt Prof. Purkinje et Dr. Valentin Wratistaviae 1835. 4.

particulas minimas in aqua libere moveri et rotari viderit. Hoc monstratum alteri extemplo pro motu vibratorio est agnitum. Rei gravitate commoti celeberrimi auctores motum vibratorium in oviductu avium proximo iam die quaesiverunt et invenerunt.

Nunc continuato studio horum virorum aliorumque certum est, membranam mucosam narium, laryngis, tracheae, bronchorumque usque ad fines cellulares, porro membranam mucosam tubarum et uteri usque ad medium collum hoc motu vibratorio praeditam esse, contra membranam mucosam oris, tubae Eustachianae, ductuum excretorios, pharyngis, ventriculi et totius tubi intestinalis hoc motu carere.

Sed non solum, in membranis mucosis, sed etiam in quibusdam serosis motus vibratorius cernitur, teste cel. Mayero *), motum vibratorium in pericardio ranae et in peritoneo amphibiorum observante, teste porro Purkinjeo **) motum vibratorium adeo in ventriculis cerebri in embryone vermicino detegente, qui tertio adeo die post mortem adhuc continuatus est.

Certum ergo est, hunc motum, in plantis frustra quaesitum, in omnium animalium quibusdam partibus observari, in necatis bestiis per aliquod tempus perdurare. Homini quoque eundem motum vibratorium adscribendum esse hac re a Purkinjeo et Valentino probatum est, ut epithelium narium et tracheae iisdem ciliis praeditum esse demonstrarent, quibus membranae mucosae vibrantes instructae sunt. Quoniam vero homo post mortem tam cito inquiri nequit motum vibratorium cernere iis non licuit.

Sed, quoniam multorum physiologorum intererit motum vibratorium in homine etiam cernere aliisque ad oculos demonstrare, methodum hanc commendo, qua quilibet in suo ipse corpore rem admirabilem illam indagare potest.

Iam primus huius phaenomeni inventor Antonius de Heide dicit: hic motus vegetat non tantum in integro cirro, reliquis mytuli partibus

*) Mayer, Supplemente zur Lehre vom Kreislaufe 1836. 4. Heft 2.

**) Siehe Valentins Repertorium der Anatomie und Physiologie. Berlin, 1836. Bd. 1. p. 156.

connexo, sed in eiusdem frustis minutissimis abscissis, quae lymphae marinae innatantia radiando per liquorem saliunt. Purkinje et Valentinus et ipsi minimas particulas divulsas membranae mucosae tubarum libere moveri et rotari viderunt. Mayerus superficiem membranarum mucosarum radendo particulas vibrantes abripuit, et muco inhaerentes microscopio subiecit et sic vibrationem contemplatus est. Purkinje et Valentinus iam prius in membrana vibrante stratum colliculorum et in superficie colliculorum fila aut plicas epithelii vibrantes discreverunt. Hos colliculos cellulas epithelii esse, ciliis in superficie externa munitas, Henle*) nuper demonstravit easque radendo facile simul cum muco a membrana abripi et microscopio subiectas motum vibratorium observari docuit.

Hanc igitur methodum felici cum successu adhibui, ut e meis ipse naribus cellulas epithelii vibrantes acciperem. Quem in finem pennam anserinam adhibui. Caule eius raso et abbreviato, duram lamellam, medullam eius tegentem, in fine caulis removi. Hoc modo enim finis caulis in nares immissus membranam pituitariam haud facile laesit. Lamellae durae suprema pars ita flexa est, ut caule aut promotum aut retracto membranam pituitariam leniter raderet. Pituitam a septo narium hoc modo receptam cultri ope a penna in vitrum transtuli et sic microscopio Schieckiano subieci, vitra obiectiva acutissima cum oculari vitro maximum focum habente coniungens. Multae particulae epithelii, quae non sine apta ratione pro cellulis habentur, vehementer vibratione ciliorum tremebant, nam motu ciliorum particulae ipsae movebantur. In aliis particulis aut cellulis quinque sexagesimis horae elapsis motus sensim sensimque cessavit, in aliis multo diutius perduravit, ita ut in una cellula post dimidiam horam et quinque sexagesimas demum motus vibratorius finiretur. Priusquam finis accessit oscillationes ciliorum lentiores factae sunt, ita, ut cilia clare in oculos incurrerent, eorumque motus numerari possent. Hi igitur rhythmici fuerunt, et in intervallis iterabant, quartae parti secundae fere

*) Henle, Symbolae ad anatomiam villorum intestinalium imprimis eorum epithelii et vasorum lacteorum. Berolini 1837. 4. §. 6.

aequalibus. Postea lentiores adeo facti sunt. Cellulae, cilia ferentes partim coniformes, partim cylindræae, partim rotundae fuerunt. Coniformes cellulae in latiori fine cilia verticilli in forma posita habuerunt. Omnes cellulae uno tantum latere ciliis obsessae fuerunt. Corpuscula ciliis praedita cellulas fuisse non particulas solidas, certis rationibus demonstrare quidem non licet. Nam neque nucleum in iis deprehendi, neque cavum alio modo vidi. Cellulas vero esse verosimile mihi videtur, si ea omnia respicio, quae de structura epithelii Henle et de aliarum partium cornearum fabrica Schwann egregie exposuerunt, et quae ego ipse in muco linguae humanae et in cuticula et ungue embryonum suillorum observavi. Cellula coniformis maioribus cellulis adnumeranda diametrum longitudinalem 0,0138 Lin. Par., seu $\frac{1}{72}$ Lin. Par., seu $\frac{1}{864}$ pollicem aequiparanda, diametrum transversam vero lineam Par. 0,0038, seu $\frac{1}{263}$ lin., seu $\frac{1}{3156}$ pollicem aequalem habuit. Cellula, rotunda diametrum 0,0069 Lin. Par. seu $\frac{1}{144}$ Lin. seu $\frac{1}{432}$ pollic. aequalem habuit. Ciliorum longitudo diametrum corpusculi sanguinei haud multum superare visa est. Cilia enim certe non breviora fuerunt.

*De glandulis simplicibus intestini crassi materia
iniecta repletis.*

Superficies tubi intestinalis humani interna amplissima est, non solum propter permultas plicas membranae pituitariae in cavo tubi eius prominentes, sed etiam propter innumeras villas innumerasque glandulas simplice ibidem conspicuas. Intestina tenuia villis instructa esse, et contra intestinum crassum villis carere inter omnes constat. Sed loco villorum crassis intestinis glandulae simplices innumerae, ordine certo dispositae, datae sunt. Cellulas plerumque vocant. Nam ab anatomicis adhuc ostia tantum glandularum earum in tubo intestinali aperta, non glandulae ipsae, observatae et descriptae sunt. Ut glandulae ipsae in conspectum veniant, cavum earum materia solida replendum est. Quo facto membrana serosa et muscularis auferenda, et externa glandularum superficies ante oculos ponenda est. Glandu-

lae ita praeparatae sacculi sunt, quorum finis angustior et apertus in cavum intestinorum hiat, latior et clausus finis musculis intestinorum adversus est.

Glandulae materia iniecta penitus repletae et extensae formam habent sacculorum simplicium piri fere figuram repraesentantium. Diameter longitudinalis $\frac{2}{3}$ — $\frac{1}{3}$ Lin. Paris. aequiparanda est, diameter transversa $\frac{1}{2}$ et in fundo glandulae $\frac{1}{4}$ Lin. Glandularum numerus tantus est, ut altera alteri proxima sit, glandulae enim vicinae tam parum a se invicem distant, ut interstium vix sufficiat ad unam glandulam recipiendam. Nam in una linea quadrata Parisiensi 144 — 100 glandulae positae sunt. Quilibet, qui glandulas ita praeparatas in superficie externa intestini contempletur, fateatur necesse est, eas admodum similes esse villis intestinorum, i. e. villos esse cavos extrorsum conversos. Neque a veritate abhorret, has glandulas similem homini utilitatem afferre, quam villi. Quemadmodum enim villi non solum resorbendi causa facti sunt, sed etiam a reti vasculoso densissimo obducuntur, succum entericum haud dubie simul secernente, ita glandulae et ipsae in cavum intestinorum crassorum satis patere videntur, ut fluida in eas inde intrare possint. Etiam si igitur iis maxime officium secernendi adscribendum est, tamen forsitan continuato studio aliquando probari poterit, resorptionem etiam in vasculosis parietibus eorum fieri. In tenuibus intestinis mihi non contigit similes glandulas iniecta materia replere et sic conspicuas reddere.

De glandula ventriculi castoris.

Ventriculum castoris glandula permagna, iuxta oesophagum posita, instructum, alii anatomici descripserunt. Mihi cum nuper a praenobilissimo Lampio, urbis nostrae senatore meritissimo, occasio offerretur castorem Dessaviae captum inquirendi, inter alia structuram eius glandulae eruere studui. Quem in finem ventriculum et oesophagum materia fluido sponte sua solidescendente totum replevi, eo animo, ut materia per plures aperturas illas, qua ductus glandulae in ventriculum hiant, in ductus intraret eosque ad fines usque repletet. Neque vero spes me

fefellit. Membranam serosam et musculosam ventriculi, glandulam extrorsum obducentes, tollens, ductus excretorios amplissimos et brevissimos esse vidi. Plurimi ductus excretorii, septem lineas longi, diametrum transversam circiter duarum linearum Parisiensium habuerunt et pluribus finibus coecis paululum tumentibus instructi erant, Forma ductuum igitur eadem quidem est, quam in aliis glandulis, omnes autem partes ductuum illorum et fines adeo clausi colossea magnitudine admirationem movent. Ductus igitur appendicibus pyloricis duodeni piscium similes sunt, hac diversitate intercedente, quod tunica muscularis et serosa non singulos ductus circumdat, sed totam glandulam tegit, et quod ductus glandulae ventriculi in ramos dividuntur.

De cavitatibus corporis humani materiis solidis et liquidis plane expletis.

Multum anatomici in eo elaboraverunt, ut organa corporis humani in classes et ordines recte disponerent. At vero, quoniam corpora organica hac re maxime ab inorganicis differunt, quod cavitates corpore inclusae non interstitia casu facta, sed canales et cavitates certo fini accommodatae et propterea certo modo inter se coniunctae sunt, ante multos iam annos in eam incidi quaestionem, an non cavitates etiam corporis humani in certas classes et genera discernere liceret. Itaque in Anatomia Hildebrandtiana a me denuo edita omnia cava in tres classes disposui. Principium nimirum divisionis inde repetitum est, num cavitates magis propinque aut magis remote cum spatio, a quo circumdamur, cohaereant. Discrevi enim I. *cava aperta*, II. *cava vasorum* seu *cava media*, III. *cava clausa*. Ad cava aperta ea retuli, quae ostiis visum non fugientibus in cute humana hiant, ore, naribus, ano, apertura organorum genitalium, ostiis glandularum cutanearum et mammillarum. Ad eam classem omnes etiam ductus pertinere clarum est, qui canali intestinali aut organis uropoeticis et genitalibus continui sunt, ergo tracheam, non exceptis cellulis pulmonalibus, porro ductus excretorios hepatis, pancreatis,

renum, testicularum adeoque glandularum mucosarum et cutanearum. Ad alteram classem vasa sanguifera et vasa lymphatica retuli, ad tertiam caveas saccorum serosorum et synovialium et telae cellularis. Ostia harum duarum classium visum fugiunt, succique in corpus nostrum nutritionis causa recipiendi ex apertis cavis per poros visu non comprehendendos in vasa lymphatica et sanguifera, e vasis autem ad cava clausa transeunt ibique nutriendis corporis partibus inserviunt. Materiae contra e substantia corporis nutrita removendae non immediate ad superficiem corporis tendunt, sed primum succis in caveis telae cellulosae contentis admiscentur et inde a vasis resorbentur, aut si materia nutrienda fluida est, e fluidis recipiuntur caveas serosas replentibus. Simili igitur via, per vasa sanguifera hae quoque materiae e partibus corporis nutriendis ad superficiem corporis aut ad cava aperta reducuntur, ibidemque e corpore eiciuntur.

Multa, hac divisione cavorum clariori luce collocantur, v. c. maxima diversitas naturam animalium et plantarum intercedens.

Nam plantae hac re ab animalibus magnopere discrepant, quod cava aperta apud eas non excoltae sunt. Carent enim ductibus longioribus cum tubo intestinali, trachea, aut canalibus uriniferis comparandis, et rudimenta tantum habent cavorum apertorum glandulis nostris cutaneis similia. Plantis et animalibus magna superficies necessaria est, ut corpora haec organica in magnum contactum cum rerum natura veniant. Exhalatio enim et resorptio, in plantis et animalibus vehementissima, magnam superficiem requirit in qua exhaletur resorbeaturque. In plantis vero externa corporis superficies maxima est per immensam divisionem radicum in ramos et fila minima, atque per immensam superficiem foliorum et ramorum. In animalibus contra superficies introrsum conversa maxima est, per innumeros villos tubi intestinalis cum radicibus plantarum comparandos et per immensam divisionem canalium excretoriorum in canaliculos et cellulas, quae haud inepte cum foliis plantarum comparantur.

Iam si materias contemplamur, cavitatibus illis animalium contentas, aërem e duabus classibus cavorum plane exclusum videmus, nam neque

vasa, neque caveae corporis saccis serosis obductae, neque articuli, neque cellulae telae cellulosae aërem liberum in se habent. In plantis contra multae cellulae imo etiam vasa aërem includunt. Incidas in corpora animalium aqua submersorum, neque ex aperto corde, neque e vasis, neque e reliquis cavis a me enumeratis bulla aërea in aqua ascendet, modo non aperueris cavitates quas apertas nominavi. Discindas ramum plantae illae-sae, aquae immersum, statim poteris aërem exprimere.

Sequitur exinde omnes caveas secundae et tertiae classis solidis et liquidis partibus penitus expleri, neque dari ibi interstitia aëre aut vaporibus expleta.

Recte hanc veritatem pronuntiavit Ioannes Müller^{*)} his verbis: „Sunt qui credunt, caveas serosas in animalibus vivis aëre repletas esse, neque dicunt cuiusnam generis hic aër sit. Errant. Sacci serosi animalium vivorum ita ab intestinis repleti sunt, ut nulla plane interstitia in iis remaneant. A superficie membranarum serosarum in vivis animalibus non maior liquoris copia secernitur, quam necessaria, ut membranae lubricae sint et concretio earum inter se avertatur. Viscera abdominalia, musculis abdominalibus semper compressa sunt, itaque non spatium nisi canali intestinali inclusum mutationes patitur supra et infra. Inter pleuram costalem et pulmonalem, vita superstate, nullum plane spatium interest pulmonumque superficies sequitur semper motum thoracis. Alio modo respiratio locum non haberet. Neque inter pericardium et cor fluida gasiformia aut liquida adesse statuendum est. Altera pars cordis enim semper sanguine distenditur, altera parte contracta. Cordis parte sanguine coacervato distensa pericardii cavum semper repletur, sive pars sanguine plena sit ventriculus, sive atrium. Ponamus vero contracto corde pericardium non penitus expleri; pulmones pressu aeris per bronchos intrantis extendi locumque pericardii occupare necessarium foret.“

*) Müller Handbuch der Physiologie des Menschen. Coblenz 1834. B. I. p. 413.

Haec vero praefatus sum, ut solemnia inauguralia medica duorum virorum doctissimorum indicarem, quorum alter

VICTOR IMMANVEL NOVALIS GOETZ,

MEDICINAE BACCALAUREUS,

ita de vita, studio medico dicata, ad ordinem medicum retulit.

Natus sum Mülbisi, in dioecesi Lipsiensi, d. XXIII. Octobr. a. h. s. X. patre IOHANNE GEORGIO FREDERICO, verbi divini ministro, quem quinquennio abhinc morte mihi ereptum pie lugeo, matre KAROLINA ERDMUTHA e gente nobili FRIEDERICIANA, quam dilectissimam matrem superstitem mihi adhuc esse vehementer laetor, et summum numen, ut ad extremam senectutem salvam esse velit, ex animo precor. Primis sanctae religionis litterarumque elementis imbutus sum ab ipso patre carissimo, qui summam fere vitae felicitatem in educatione et eruditione liberorum suorum inveniens, me proprio studio ad altiores disciplinas praeparatum, annum decimum quintum agentem, gymnasio Alteburgensi tradidit. Ibi per tres annos et dimidium praeceptores mihi fuerunt b. MATTHIAE, b. RAMSHORNIUS, b. MESSERSCHMIDTIUS, b. SCHNEIDERUS, MEYNERUS, WAGNERUS, viri praestantissimi, quorum de me merita semper colam mente gratissima. Annum agens undevicesimum, Academiam Lipsiensem adii, receptus a b. BECKIO t. t. Rect. Magn. Per V annos virorum Excc. et Expp., quibus haecce alma litterarum mater excellit, institutione hac usus sum ratione. — Audivi de philosophia Ill. KRUGIUM, de hodegetice et methodologia medica b. HAENELUM, de botanice et historia naturali Exc. SCHWAEGRICHENUM, de botanice medica et vegetabilibus cryptogamis Exc. KUNZIUM, de chemia Exc. KUEHNIUM iun. et Exc. ERDMANNUM, de physice b. BRANDESIUM. Porro praeceptores mihi fuerunt in anato-

mia Exc. WEBERUS et b. BOCKIUS, in anatomia pathologica Exc. CERUTTIUS, in physiologia Exc. KUEHNIUS sen. et Exc. WEBERUS, in anthropologia, orthobioce et medicina psychica Ill. HEINROTHIUS, in pathologia et therapia generali Exc. RADIUS, in materia medica b. HAASIUS, in pharmacia Exc. KUEHNIUS iun., in doctrina de oculorum morbis Exc. KUEHNIUS sen., in arte obstetricia et theoretica et practica Ill. JOERGIUS, in medicina forensi Exc. WENDLERUS, in pathologia et therapia speciali b. HAASIUS et Exc. CERUTTIUS. Denique in instituto clinico sub auspiciis Ill. CLARI, Exc. KUHLLI et Exc. WENDLERI prima vitae practicae pericula feci et institutum ophthalmiatricum Exc. RITTERICHIO duce frequentavi. His praeceptoribus omnibus Excellentissimis pie colendis, quorum benevolentiae et humanitatis magnitudinem oratione complecti nequeo, gratias ago maximas, eosque ut persuasissimum sibi habeant rogo, haec summa in me merita nullam unquam ex animo meo deleturam esse oblivionem. Qua occasione non possum non gratus profiteri rerum mearum tenuitatem levatam esse stipendiis, et summi Gratosi Medicorum Ordinis humanitate in me benevole collatis, et singulorum virorum Excc. Munificentia, qui collegiis ipsorum interesse liberalissime mihi concesserunt, inter quos Excc. WEBERUM, ERDMANNUM, SCHWAEGRICHENUM et b. HAASIUM nomino. Iam vero iustae pietatis rationes me iubent publice gratias agere viro, qui omnium de me maxime meritus est, Exc. RADIO. Quantum huic viro debeam, qui mihi amanuensis in cura aegrotorum aedibus Sct. Georgii munus demandans, amplum experientiae campum aperuit, cui per tres annos et in hoc instituto et in praxi privata ad manus esse contigit, eloqui quidem non possum, hoc vero intimo pectore sentio, me ad ultimum vitae spiritum non obliturum, quantum ex huius viri exemplo, praeceptis, doctrina, quantum ex animi nobilitate et paterna in me et severitate et clementia hauserim fructus et deliciarum, non obliturum, quod me non indignum habuerit, quem commendaret ad munus medici secundarii in instituto publico Colditziensi mihi deferendum. Quod postquam ex Collegii

Regii consilio et huius instituti medici primarii ac dirigentis consensu honorificentissime et benignissime mihi demandatum est, iamiam ex anno et quod excuirit sub moderamine Exc. et Exp. WEISSII administro. Quodsi fides ab antistibus patriae mihi monstrata et larga occasio egregium thesaurum experientiae medicae comparandi mihi oblata me impellere debet, ut indefesso studio optimos inde colligam fructus, quanto id magis mihi continget auspice et duce medico seniori, qui altius iam in sacra huius artis, cui vires et vitam consecravit, penetralia descendit. Quo magis vero hunc virum veneror, quo maiori ipsum amore amplexus sum, eo sincerius est volum, ut, si ea, quae ipsi iam intra huius anni curriculum debeo, non possum remunerare, favore eius saltem quotidie evadam dignior.

Examine theoretico anno h. s. tricesimo secundo, practico, anno currente Candidatus eam doctrinam ordini medico probavit, ut secunda censura dignus haberetur. Disputationem postea scripsit: *Hypertrophiae cordis sinistri cum angustatione per vitium valvularum orificii aortae exemplum sistentem*, eam die XVII. mens. Aug. a. c. rite contra adversarios defendit, itaque eodem die summis in arte medica honoribus ornatus est.

Alter Candidatus praenobilissimus summorum in arte medica honorum est

CAROLUS FRANCISCUS ANTONIUS PUSINELLI,

MEDICINAE BACCALAUREUS,

cuius vitae ratio his verbis eius cognoscitur.

Natus sum Dresdae anno huius saeculi XV patre ANTONIO, matre CAROLINA SOPHIA, e gente BRUEGNERIANA, quorum parentum uti illum

praematura morte ereptum gravissime doleo, ita maximopere laetor de hac adhuc superstite, quae me tanta cum cura educavit, tantisque me cumulavit amoris generosissimi beneficiis, ut quomodo ego gratum piumque animum ipsi satis declarem nesciam. Deum autem O. M., ut ad remotissimos usque annos salvam sospitemque servare velit, enixissimis precibus oro atque obsecro. Prima rerum humanarum divinarumque elementa tradita mihi sunt in schola, quae tunc floruit Dresdae sub auspiciis experientissimi WIESNERI. Deinde in scholam huius urbis catholicam translatus, Domini summe reverendi, JOSEPHI DIETRICHII, qui nunc potentissimi regis Saxoniae a concionibus est aulicis atque a conciliis Vicariatus Apostolici, rerum sacrarum praeceptis et institutionibus usus sum, cuius viri praestantissimi et generosissimi tanta semper erga me fuit benevolentia ac benignitas, atque tot et tanta etiam nunc favoris et gratiae vere paternae sunt documenta, ut, data hac occasione, publicum gratissimi animi summaeque pietatis testimonium proferre non praetermittam. Ut gymnasium aliquando adire possem, classes sic dictas gymnasiales cum illa schola coniunctas frequentavi et praeceptorum optimorum doctrina adiutus litterarum elementa tractavi. Anno sic praeterlapso in numerum discipulorum, qui gymnasii, quod Dresdae est ad aedem crucis, disciplina utuntur, a Rectore GROEBELIO, viro illustrissimo, receptus sum. Per quinquennium tam ipsius Rectoris, quam reliquorum praeceptorum dilectissimorum institutione et benevolentia gavisus, anno h. s. XXXIV. Lipsiam me contuli et Magnifici HAASII auspiciis in civium Almae Academiae numerum relatus sum. Ex illo tempore arti medicae operam dedi, illustrium virorum disciplina usus. Praeceptores enim habui in philosophicis Exc. HARTENSTEINIUM, in anatomicis et physiologicis Exc. WEBERUM, in anthropologia et psychiatria Ill. HEINROTHIUM, in historia naturali Exc. SCHWAEGRICHENUM et POEPPIGIUM, in chemia Exc. KUEHNIUM filium, in physica Exc. FECHNERUM. Sic per biennium praeparatus examen theoreticum subii atque deinde ad practicas transgressus sum disciplinas. Pathologiae

generalis cognitionem opera privata è celeberrimi HARTMANNI compendio, therapiae autem ex institutionibus Exc. RADII haurire studui. Ad morbos ipsos dignoscendos et curandos Exc. CERUTTI aditum mihi patefecit. Beatum HAASIUM de materia medica: Ill. CLARUM de exanthematibus chronicis et arte percutiendi et auscultandi; Ill. JOERGIUM de arte obstetricia; Exc. KUHLIUM de chirurgia et ophthalmiatrice operativa, institutis simul in cadavere operationibus; Exc. KNESCHKIUM, insigni benevolentia et humanitate me excipientem, de morbis oculorum et arte formulas medicas conscribendi; Exc. WENDLERUM de medicina forensi; exc. CERUTTIUM de anatomia pathologica audivi disserentes. Ita praeparatus instituta clinica adire coepi, et quidem regium medicum, quod sub Ill. CLARI, viri maxime conspicui atque de me summe meriti, auspiciis floret; chirurgicum Exc. KUHLI, qui ingenua me ornavit benignitate; obstetricium Ill. JOERGI et ophthalmiaticum Exc. RITTERICHII, quorum innumera et eximia beneficia grato semper animo servabo. Maximum denique ultimo tempore fructum ex instituti policlinici frequentatione desumere mihi contigit. Viri enim Excell. CERUTTIUS et BRAUNIUS, gravissimi eius moderatores, non doctrina solum, sed singulari etiam comitate et humanitate me adjuverunt, ut quomodo religionis ac pietatis meae documentum iis proponam, vere nesciam! Die autem mensis Augusti XI examen pro licentia medica superavi.

Sic in patriam redituro et hanc litterarum et liberalitatis almam sedem relicturo, nil magis curae cordique est, quam ut praeceptores Illustrissimi atque Dilectissimi ulteriorem etiam mihi servare velint gratiam. Deum autem O. M., ut ob tot et tanta beneficia larga manu praemiis meritis eos ornare velit, rogare nunquam desinam.

Candidatus praenobilissimus examine duplici, altero theoretico, altero practico tentatus, in utroque prima censura se dignum praestitit.

Itaque Candidato dignissimo lubentissime viam ad summos in arte medica honores parabimus. Fiet hoc die VII. mensis Sept. a. c. defensa disputatione eius: *Addidamenta quaedam ad pulsus normalis imprimis diurni et nocturni cognitionem* continente. Ad quam solemnitatem academicam celebrandam Vos RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROFESSORES ET FAUTORES HUIUS LITERARUM UNIVERSITATIS CLARISSIMI DENIQUE VOS COMMILITONES ORNATISSIMI humanissime invito.

P. P. Domin. XII. p. Trin. a. MDCCCXXXVIII.

L I P S I A E,

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.





